



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

Sententiarum fragmentum, Pircheymero interp.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

A⁹ Sarracenus: Quid est quod ait Deus ad Hieremiam, Antequam plasmarem te in utero, scius es, & ex matrice sanctificauit te? Omnis ergo igitur in utero plasmauit. Chr. Animatum & seminatum potentiam Adam in utero habens, Seth genuit, quemadmodum dicebam, Seth & Enoch. & unusquisque homo prius habet in utero suum filium, & filius genuit usque ad praesens. Hoc autem, Ex utero sanctificauit te, intellige eam, quae vere genuit filios Dei, secundum testimonium sancti Euangeli.

B¹⁰ Sarracenus: Facientes voluntatem Dei, bonos dicas vel malos? Chr. Dic re vis, quod Christus nolens passus sit. Et si dicam tibi bonos, dices mihi: Vade adores Deos, quoniam voluntatem Dei tui fecerunt. Sarr. Et hoc ipsum tibi volebam dicere. Chr. Quid tu dicas voluntatem? Ego dico sustinentiam & longanimitatem. Sar. Unde hoc ostendere potes? Chr. Per rem: quia sedente me & te, vel stantibus, potest quis ex libero arbitrio sive stare, vel moueri. Et nunquid Deo dicente, Non furaberis, Non fornicaberis, Non occides, vult ut furemur, vel fornicemur, vel occidamus? Sar. Non. si enim vellet, non utique diceret hoc. Chr. Gloria Deo, quoniam tu confessus es: ecce concordas mihi, quoniam nullus ex nobis sive potest surgere, sive vivere: & quoniam non vult Deus ut furemur, vel fornicemur, vel occidamus. Et si nunc exurgens, furer, vel fornicer, vel occidam, quid ipsum dicas? voluntatem, vel confessionem, vel sustinentiam, vel longanimitatem?

C¹¹ Sarracenus: Quis est apud te maior, qui sanctificat, vel qui sanctificatur? Chr. Quid velis dicere, intelligo. Sar. Si enim intelligis, responde mihi. Chr. Si tibi dicam, Qui sanctificat: dices mihi: Vade, adora Ioannem Baptistam, ut baptizantem & sanctificantem Christum tuum. Sar. Sic sancte tibi solebam dicere. Chr. Superuenient te cum seruo tuo in balneo, & ablatus & mundatus ab ipso, quem habes dicere maiorem? illum miserum & argento emptum, vel te mundatum ab ipso, sive & Dominum ipsius existentem? Sarr. Me ipsum dico maiorem qui possideo, quam ilum qui a me possidetur. Christ. Gratias ago Deo. Sic mihi intellige Ioannem, ut seruum & famulum ministrantem Christo in sancto baptismate in Iordanem, in quo baptizatus Salvator meus, eorum qui illic in caavernis latentium draconum & perniciosorum demonum capita stravit. Sarracenus autem valde admirans & deficiens, recessit, nihil apponens ad ipsum alterum.

D. IOAN. DAMASCENI SENTENTIARVM ALIQVOT FRAGMENTVM, BILIBALDO PIRCHEY- mero ad Claram sororem interprete.

E In vitorum capitalium enumeratione Graeci vanam gloriam à superbis distinguunt. Ob idque apud eos octo summa vitorum genera recensentur. Nos autem, quoniam manem gloriam ad superbiam taxquam ad genus reuocamus, septem dicitur at numerare solemus. Porro cum hoc Damasceni opusculum nobis aliquid brevius videretur, idcirco duo alia eiusdem argumenti subiecimus, unum Euagrij, alterum Nicoli, utrumque ex locupletissima Regnae matris Bibliotheca petimus.

 C^{to} sunt passiones, quibus admodum (principiū spirituales) impungantur homines, gula videlicet, turpis concupiscentia, avaritia, ira, aduersitas, acedia, vana gloria, & superbia.

Hæc itaque vitia discerni, & summa diligentia cognosci debent, ut cum aliquo illorum tentatur homo, semper arma, quibus se munire possit, preparata habeat.

D. IOANN. DAM. DE 8. PASSIONIBVS.

Si gula impugnaris: ventrem coerces: numero & mensura cibus & potus sumatur: animæ separatio à corpore, iudicium venturum, & horrenda gehennæ flamma: pariter & regni celestis desideriū, assidue coram oculis obuersentur: si eque ventris opprimetur voluptas.

Si turpis & carnalis te malè vexat concupiscentia: illam vigiliis, labore, orationibus & inedia expelle: proderit & mortis meditatio, mortiferique gaudij supplicium, ac fetsus alterius declinatio.

Auaritia vincitur liberalitate, & rei pecuniariæ contemptu, pariter & cogitatione illa, quod ob avaritiam Dominum & magistrum Iudas tradidit, & quod omnis avarus à Scriptura diuina idololatra vocatur, quodque pecuniis ad breve tempus frui datur, morsque amara vitam acerbam auari sequatur: quapropter si nihil ultra quam sufficiat queratur, passio hæc euitatur.

Si aduersitate aliqua perturbaris, ora & spem cunctam ad Deum dirige: & passionem Christi, nostræque imbecillitatem naturæ contemplare: præsentia cuncta & vana despice: gratiam celestem & iustorum fruitionem venturam perpende. Id si feceris, nulla iniuria seu contumelia contrastaberis: sed solùm Dei offendio te perturbabit.

Si te ira extimulat, mansuetudinem inde, & ad Psalmorum decantationem perfuge: malum in bono vince, maiori cede, aqualem perfer, minori, prudetemque concordiam cum omnibus exerce hominibus, memor quam mansuetus agnus innocens ad mortem deductus sit.

Si acedia infestaris, te ipsum laborando, meditando, orando & legendo excita: spes firma te instiget, ut considerare possis quantum inter frigidam pigritiam & calidum intersit feroarem: quoruū vnum à ventura separat gloria, alterū regni celestis te hæredem creat.

Quod si vana tentaris gloria, te ipsum scrutare, nihilque ad laudem seu demonstrationem perage humanam. Sed omnis operatio tua in occulto fiat, nomine præterquam Deo solo vidente, ad quem yniuersa referantur opera: hominum laudes, honores, prælationes & similia contemne: & magis amplectere, si te accusant & contumelia afficiunt, mentientes & odio habentes, peccatores.

Si à dæmoniaca & pessima superbia oppugnaris passione, nemine iudica, sed solùm te ipsum circumspice & cognosce: humilem te coram Deo ostende, & inferiorem omnibus te existima hominibus: eudaciam & animi tumorem reice: jeuniis, orationibus, vigiliis insiste: & cùm te quid recte facere cotigerit, non potentia tua illud adscribe, sed diuinæ pietati id totum acceptum refer: simplex & recta sit tua conuersatio: nec aliud in corde, aliud in ore habe: dolosum etenim est, proin omnis animi elatio lachrimarum fonte extinguatur.

At turbæ viciorum yniuersæ resisti poterit, si semper & assidue homo cogitauerit, Deum operum suorum inspectorem, angelum custodem, virtutis nobilitatem, voluptatem momentaneam, peccati spurcitatem, vitam labilem, mortem incertam, gaudium seu cruciatuū sempiternum, puræ conscientiæ pacem, hominis dignitatem, Dei beneficium, & super omnia Christi vitam, mortem, & crucem. Quæ enim & qualis vita, si vix homo ex sepulchro progressus, rursus ad sepulchrum perget, & demum in perpetua gehennæ flamma sepelitur? Deum igitur amemus, & precepta eius ita obseruemus, ut exantlata fragili & misera vita, ad perpetuæ beatitudinis gloriam feliciter peruenire valeamus, Amen.

E V A G R I I